

Quod Monasteria, Prioratus, & alia beneficia Ecclesiastica, perpetuo unita, & de cetero non vacantia, teneantur Rev. Camera Apost. debita jura, & servitia ut taxata sunt prestare. Alia vero Annatam persolvere singulis quindecim annis.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Debet Romanum Pontificem sic suis fore gratis liberalem, quod in Ecclesiis, Monasteriorum, aut Clericalis Ordinis personarum secularium sive regularium favore concessa, in Camera Apostolicæ, vel aliis præjudicium non reddunt.

Plures Pont. multa beneficia perpetuo univertunt.

§. 1. Sane dudum ad humiles universorum poscentium supplicationes, & ex certis rationabilibus causis tunc expressis inducti, tam Nos quam S. R. E. Martinus V. Eugenius IV. Nicolaus etiam V. Callistus III., & Pius II. Pontifices prædecessores nostri quamplura diversorum Ordinum Monasteria, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Conventuales, necnon dignitates majores in Cathedralibus, Metropolitanis, & principales in Collegiatis Ecclesiis, administrationes quoque, officia, & beneficia Ecclesiastica etiam dispositioni Apostolicæ generaliter reservata, invicem, vel aliis Cathedralibus etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, earumque Capitularibus mensis, ac mensarii, dignitatibus Collegiis, universitatibus, & beneficiis, & præsertim Congregationis Canonicorum Regularium S. Augustini Lateranen., & de Scopeto, seu S. Salvatoris nuncupatorum, Monachorum S. Justini Paduan. Montis Oliveti, S. Benedicti, Cisterciens. Vallis Umbrosæ, & Cartusien. Ordinibus, Presbyterorumque S. Georgii in Alga Venetiarum, atque aliis Monasteriis, domibus, Hospitalibus, fabricis, & piis locis, utriusque sexus personarum, sub diversis modis, & formis Apostolica auctoritate univimus, incorporavimus, & anneximus, applicavimus, atque submissimus.

Unde ob non vacationem, Camera Ap. jura sua non præstabantur.

§. 2. Proptereaque Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus, Præpositura, dignitates, administrationes, officia, & beneficia unita hujusmodi amplius nequaquam vacare sperantur, cumque propterea Camera Apostolica, necnon venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegium, & Sedis Apostolicæ Officiales detrimendum non modicum patiantur.

Hic idco. Pont. providet ut in prima parte tubr.

§. 3. Nos, quorum interest eorumdem Camere, Collegii, & Officialium indemnitati prospicere, volentes quemadmodum, par est, uniones, incorporaciones, annexion-application, & submissiones præfatæ, si alias rite, & rationabiliter processerunt, ita in sua firmitate, permaneant, quod ipsorum quibus una

cum suis oneribus unita fuere, commodis deferviant, & aliorum jura propterea non ledantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, quod omnia, & singula Monasteria, videlicet illa quorum fructus, & redditus, & proventus ad summam centum floren. auri de Camera, secundum communem estimationem ascendunt annuatim, si in libris ejusdem Camere taxati reperiuntur, communia, & minuta servitia, atque alia jura debita, & consuetam tam ipsis Camera, & Collegio, quam Officialibus præstatis.

Et prout in secunda.

§. 4. Reliqua vero Monasteria, Prioratus, Præpositura, Præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, & beneficia, ut præfertur unita, pro quibus Camera Apostolica annata, seu alia jura solvi consueverant, vel debebant temporibus retroactis, & de solvendo singulis certis temporibus futuris obligatio in eadem Camera per inadvertentiam facta non fuit, annatam, sive medios fructus unius anni in posterum singulis quindecim annis perpetuo sequuturis, eidem Camere solvere teneantur, & debeant.

Jubet etiam solvi annatam d. quinquennio præterito, & caveri profuturis.

§. 5. Et quod de omnibus Monasteriis, Prioratibus, Præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis, ut præfertur unitis, a quorum unionem temporibus postquam illa sortita effectum, anni quindecim effluxerunt, infra annum proxime futurum communia minuta, & alia jura seu annatas, & medios fructus hujusmodi solvere adstruantur etiam singulis annis quindecim futurum, prout multi alii similes uniones, & gratias obtinere faciunt, & facere consueverunt, & ad hoc si quorum interest infra unius anni spacium se in eadem Camera efficaciter obligare debeant cum effectu.

Alioqui uniones irritat.

§. 6. Alioqui si a solutione, aut obligatione præmissis cessare præsumperint, union. annexion, & incorporaciones præfatæ habeantur penitus pro infectis, & sic unita Monasteria, Prioratus, Præpositura, Præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, & cujusvis qualitatibus, aut generis beneficia hujusmodi tamquam vere vacantia possint libere a Sede præfata impetrari, & canonicè obtineri, ac si uniones ipsæ, & super eis confecta literæ, processus quoque habiti per eosdem, & quæcumque inde secuta nullatenus emanassent.

Clausula derog. & decretus irritans.

§. 7. Non obstantibus union., & aliis præmissis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo, &c.
Si quis autem, &c.
Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, octavo Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno quinto.

D. P. An. 5. dieb. Iannar.

Ereçtio

Ereçtio Ecclesiæ Cathedralis Viennen. in Austria cum reservatione Jurispatronatus pro Ducibus Austria.

Ex regest. in Archivo. Vat.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremæ dignitatis specula dispositione superna quamvis insufficientibus meritis constituti, ad universas Fidelium Regiones curæ nostræ commissas sic paternæ consideracionis intuitum solerter extendimus, sic ad honorem earumdem extollentiam, & sublimationem intendere procuramus, quod ex benemeritis, suisque laudabilibus actibus fructus reportasse congaudeant, & ceteri Christiani eorum immitatione ad virtutum imitanda vestigia eo ferventius incitentur.

Attentis Friderici Imperatoribus, frequentia populi, rerumque vilitate in Oppido Viennen. aliisque circumstantiis;

§. 1. Attendentes igitur, sicut fidedignorum habet assertio, in no facti notorietas indicat, & charissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, qui fervore devotionis accensus nuper ad visitandum Apostolorum limina ad hanc almam Urbem peregre se contulit, nobis inter alia explicavit, oppidum suum Viennen. Ducatus Austria Patavien. Diocesis benedictæ Altissimo in populi fidelis multiplicatione fecundum, ac bonorum, & rerum omnium ubertate esse refertum, & in eo Studium in omnibus licitis facultatibus generale vigere, ac inignes viros quamplurimos in Theologia, Pontificii juris, Medicinæ, & Philicæ facultatibus, aliisque liberalibus artibus eruditos commorari: Monasteria quoque plurima utriusque sexus personarum regularium, alique sacra Dei templa, hospitalia, & pia loca, in quibus divinus viget cultus, & magna cum veneratione, & sollempnitate assidue divina officia celebrantur, consistere: ipsius quoque Oppidi populum, & univeritates inter cæteras nationis Germanicæ adeo erga Deum, & sacrosandam Romanam Ecclesiam eximia devotione, & fidelitate fulgere, quod ex debito gratitudinis Pastoralis, & ipsius Imperatoris præclarissimis meritis accedentibus, eos Apostolica Sedes paternis prosequi debeat affectibus, ac insigniis majoribus decorare.

Ipsum Oppidum a jurisdictione Episcopi, & Capituli Patavien. liberum esse vult.

§. 2. Et propterea cupientes devotis, & humilibus Imperatoris præfati petitionibus, ut decet, annuere, ac ipsorum Oppidi, & Populi merita condignis honoribus compensare, eosque spiritualibus ac temporalibus titulis insignire, post tractatum, quem iteratis vicibus super his cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, & matura denique, prout tanta rei qualitas exigebat, deliberatione sequuta, ex præmissis, & nonnullis aliis rationabilibus animum nostrum inducentibus causis, ad divini nominis laudem, & gloriam, exal-

tationem Catholicæ Fidei, & ejusdem divini cultus augmentum, ac salutem Fidelium prædictorum, Oppidum Viennen præfatum, cujus Territorium, & Confines presentibus haberi volumus pro expressis cum omnibus, & singulis Ecclesiis, Monasteriis, Cappellis, & aliis Ecclesiasticis ac piis locis, nec non Populo, incolis, habitatoribus, cæterisque Ecclesiasticis, & secularibus personis; rebus quoque, & bonis eorumdem in eo, ipsiusque Territorio, & districtu consistentibus, ab omni jurisdictione, superioritate, subjectione, & potestate venerabilis fratris nostri Episcopi Patavien. moderni, & pro tempore existentis, ac dilectorum filiorum Capituli Patavien. eorumdemque Vicariorum, & Officialium auctoritate Apostolica tenore præsentium de fratribus eorumdem consilio prorsus eximimus, & perpetuo libera-

Civitatemque nuncupat.

§. 3. Ipsumque Oppidum tamquam locum insignem, & ad hoc congruum, decentem pariter, & honestum in Civitatem Viennen. erigimus, & Civitatem esse, & perpetuis futuris temporibus nuncupari decernimus.

Præposituram S. Stephani in Ecclesia Cathedrali erigit per Episcopum gubernandam.

§. 4. Ipsius quoque oppidi Collegiatam Ecclesiam Præposituram nuncupatam Sancti Stephani alias omnium Sanctorum, que de Jurepatronatus dilectorum filiorum nobilium virorum Ducum Austria est, & in qua Præpositura, Decanatus, Cantoria, & Custodia Dignitates, & quamplures Canonicatus, & præbendæ, Vicaria quoque, & Cappellania instituta, & a lege Diocesana ac omnimoda jurisdictione ejusdem Episcopi Patavien. prorsus exemptæ fore noscuntur, in Cathedrali Ecclesia cum præminentis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & insigniis congruentibus ipsius erectæ Civitatis Viennen. erigimus, & Episcopalis dignitatis honore, & titulo insignimus: sponsum utilem, & idoneum per nostram, & Apostolicæ Sedis providentiam annuente Domino præficiendum consequuturam, cui idem sponsum præesse valeat, & prodesse.

Diocesis præscribit.

§. 5. Necnon eidem Ecclesiæ Territorium Viennen., & infra scripti Castri Sancti Viti cum omnibus suis, & aliis pertinentiis antiquæ Præposituræ prædictæ pro ipsius Diocesi assignamus, & limitamus.

Capituli reformatio.

§. 6. Volentes, & eadem auctoritate statuente, quod in eadem Ecclesia sic in Cathedrali erecta, alia omnes, & singule Dignitates, administrationes, officia, Canonicatus, & præbendæ ac Vicariæ, & Cappellaniæ in eo statu, & robore, in quo antea fuerant, post erectionem hujusmodi existant, & perpetuo maneant cum fructibus, redditibus, & proventus earumdem; ita tamen quod omnia, & singula mobilia, & immobilia bona, que ante erectionem hujusmodi ad Præposituram actu vacantem de jure, vel consuetudine quomodolibet pertinebant, una cum Castro Sancti Viti prope Viennen. Civitatem prædictam, & quibuscumque aliis dictæ antiquæ Præposituræ fructibus, redditibus, proven-

Des Episcopi.

proventibus, juribus, obventionibus, jurisdictione, & pertinentiis universis ad mensam Episcopalem Viennen. perpetuis quibuscumque temporibus pertineant in futurum: reservata tamen ex eis pro ipsius Ecclesie Præposito pro tempore existenti congrua portione, ex qua decenter se valeat sustentare: nisi ipsi Præpositura de aliis novis redditibus, & dote congrua per Imperatorem præfatum provideatur, quemadmodum nobis factum spondit.

Austris Ducibus Juspatronatus asseretur.

§. 7. Et insuper Imperatori præfato, ejusque in dicto Ducatu Austricæ successoribus Juspatronatus, ac præsentandi personas idoneas in Præpositum, Decanum, Cantorem, & Custodem, necnon ad singulos Canonicatus, & præbendas, Vicarias, & Cappellanas hujusmodi, pro hac primaria vice, & deinceps quoties illos vacare contigerit, institutionem vero, & Confirmationem eorumdem Decanatus, Cantoria, & Custodia singulorumque Canonicatum, & præbendarum, Vicariarum, & Cappellaniarum hujusmodi, similiter etiam quorumcumque aliorum Beneficiorum in dicta Viennen. Civitate, & ejus Diocesi existentium dicto Episcopo Viennen. pro tempore existenti perpetuis futuris temporibus reservamus.

Facultas Episcopo, & Capitulo dandi Statuta consuecendi.

§. 8. Et nihilominus præfatis Episcopo, & Capitulo edendi quæcumque rationabilia, & honesta statuta, & ordinationes, prout ipsi Ecclesie convenire conspexerint, etiam cum adjectione panarum, & juramento firmandi pro illorum observantia auctoritate præfata tenore presentium facultatem concedimus, & etiam potestatem. Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis aut aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausula.

§. 9. Nulli ergo liceat hanc paginam nostre exemptionis, liberationis, constitutionis, erectionis, insignitionis, assignationis, limitationis, statuti, voluntatis, reservationis, & concessionis infringere, &c.

Dat. die 18. Januarii 1468. An. V.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, Quotidécimo Kalendas Februarii Pontificatus nostri Anno Quinto.

Reductio Sanctissimi Jubilæi, sive Anni Sancti, ad annum vigesimum quintum, quo visitantes Basilicas SS. Petri, & Pauli, & S. Joannis in Laterano, ac S. Mariæ Majoris de Urbe, plenissimam peccatorum veniam consequuntur.

Institutionem hujusmodi Jubilæi pro quolibet centesimo anno statuit Bonif. VIII. ut sup. in ejus cons. Antiquorum

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ineffabilis providentia summi Patris (qui pro redemptione humani generis, ejusque reconcilianda natura, Ad prævaricationem perpetuæ mortis damnationem, multata, unigenitum suum vestem nostre mortalitatis assumere, & post evangelicæ doctrinæ sacra erudimenta, ac vitæ ipsius actus, & conversationis exempla crucem voluit, & mortem subire) laudabili imitatione nos instruit, ut qui insufficientibus meritis vices ipsius redemptoris tenemus in terris, summis enitatur studiis gregem dominicum vigilantia nostre sui præordinatione commissum, quem callidi hostis versutia justitiæ limitibus sæpe divertit, auctori nostro, qui non mortem, sed poenitentiam desiderat peccatorum, reddere acceptabilem, & honorum operum sectatorem, ut in extremi, tremendique iudicii ratione reddenda, rigorem justitiæ, & ultionis merito evitare possimus. Decet igitur nostre mentis intuitum ad ea vigili attentione convertere, per quæ supremi favoris suffragante præsidio, ita universorum Christi fidelium animarum salutem prospiciamus utiliter, & gratiarum spiritualium donis salubriter consulamus, quod adversus ipsius hostis astutias congruo valeat antidoto subveniri, ipsique fideles æternæ beatitudinis præmia largiente Altissimo consequantur.

Præmium.

Bonif. VIII. Jubilæum quolibet 100. an. concessit, ut in rubr.

§. 1. Dudum liquidum cum fida relatio antiquorum haberet, quod accedentibus ad honorandam Principis Apostolorum de Urbe Basilicam, magnæ concessæ forent remissiones, & indulgentiæ peccatorum, felicis recordat. Bonifacius Papa Octavus prædecessor noster summo studio salutem appetens fidelium singulorum, & attenta consideratione recensens, quod per beatissimos christianæ fidei Principes Petrum, & Paulum Sacrosancta Romana, & universalis Ecclesia religionis sumpsisset exordium, ac Evangelium Christi Romæ resplendisset: ut iidem Apostolorum Principes, gregis dominici pastores, & ejusdem Ecclesie columnæ firmissimæ, in speciali veneratione, & honorificentia haberentur, ipseque prædecessor fidelibus ipsis incomparabilem salutis thesaurum aperiret, de fratrum suorum consilio voluit atque decrevit, quod omnes qui anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo, & quolibet anno centesimo ex tunc in antea secuturo ad ipsorum Apostolorum Basilicas de Urbe accederent reverenter, ipsasque si Romani ad minus triginta, si vero peregrini aut forenses quindecim diebus continuis, vel interpolatis, saltem semel in die, vere tamen poenitentes, & confessi, personaliter visitarent, suorum omnium peccatorum remissionem, & veniam plenissimam obtinerent.

prædicto permiserat, prout observata extitit.

§. 6. Piæ recordationis Nicolaus Papa Quintus similiter prædecessor noster eorumdem prædecessorum inherendo vestigiis prædictas Clementis ejusdem concessionis literas ratas habens, & gratas, eas de fratrum nostrorum tunc suorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine innovavit, & approbavit, suis scripti patrocinio communivit, indixitque statuit, decrevit, & ordinavit, ut omnes Christiani fideles vere poenitentes, & confessi, qui juxta formam in literis Clementis prædecessoris hujusmodi comprehensam in anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo tunc futuro Basilicas, & Ecclesias antedictas visitarent, ut præfertur, omnium peccatorum suorum plenissimam indulgentiam consequerentur, prout in dictis literis plenius continetur.

Nicol. v. concessit.

§. 7. Nos igitur, qui miseratione Altissimi labentibus annis regimini Catholicæ, & universalis Ecclesie fuimus divina clementia disponente præfecti, provida consideratione non immerito attendentes humanæ conditionis statum fragilem ad peccandum proclivem, & ad declinationem usque adeo celeri cursu, ut præmittitur, properare, brevissimum quoque vite spatium, & peccatis nostris exigentibus, crebras pestilentias, varios morbos lætiferos, gravissimas quoque Turcarum, & infidelium adversus fideles persecutiones assiduas, atque universam Christianitatem retroactis temporibus quassatam, adhuc variis non quidem minoribus injuriis læcesseri, & calamitosos casibus, & dispendiis subjacere, aliasque plurimas ærummas in Christi populos adeo invalescere, & eis atque aliis sinistris casibus plerumque causantibus admodum pauci remissionum, & indulgentiarum hujusmodi participes fieri mereantur, necnon ante considerantes novum, vel a moribus alienum non esse pro veritate temporum, antecessorum eorumdem statuta reduci ad spatium temporis brevioris, maxime pro salute animarum fidelium quam tota mente appetimus, & juxta datam nobis a Domino gratiam aliquid procuramus, ex præmissis, & quibusdam aliis non minoribus causis ad id animum nostrum inducentibus, annum trigessimum tertium hujusmodi de venerabilium fratrum nostrorum consilio, & ipsius potestatis plenitudine ad annum vigesimum quintum reducens, auctoritate, scientia, & potestate præmissis, statuimus, & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus annus Jubilæus (plenarie videlicet remissionis, & gratiæ, & reconciliationis humani generis nostro piissimo Redemptori) cum omnibus, & singulis indulgentiis, & peccatorum remissionibus supradictis de viginti quinque annis cum gratiarum actione, & mentis jucunditate debeat ab omnibus Christianis frequentari, ac etiam celebrari. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & ipso-

Hic modo præfatus ad annum 1470. reducitur.

Clem. vi. ad annum 1470. reduxit.

Greg. xi. statuit etiam visitari Ecclesiam B. Mariæ Majoris.

Urb. vi. Jubilæum celebrari præcepit: quolibet anno 33.

Mart. v. approbavit.

§. 2. Postmodum vero sanctæ recordationis Clemens Papa Sextus noster etiam prædecessor ex præmissis, & nonnullis aliis animam suam moventibus causis indulgentiam antedictam ad annum quinquagesimum provida consideratione reducens, Apostolica auctoritate statuit, ut omnes Christiani fideles qui prædictas Basilicas, & Lateranen. Ecclesiam de quinquaginta in quinquaginta annos certo modo tunc expresso devote visitaverint, eandem peccatorum suorum veniam consequerentur.

§. 3. Et successive piæ memoriæ Gregorius Papa XI. similiter prædecessor noster cupiens, ut Ecclesie beatæ Mariæ Majoris de Urbe cum eisdem Basilicis, & Lateranen. Ecclesia indulgentiæ privilegio decoraretur prædicto, ex certa scientia voluit, & auctoritate prædicta ordinavit, quod quicumque Christiani fideles hujusmodi indulgentiam per ipsius Clementis literas declaratam assequi affectarent, eandem Ecclesiam B. Mariæ Majoris sicut Basilicas, & Lateranen. Ecclesiam supradictas visitare deberent, & etiam tenerentur.

§. 4. Et deinde Urbanus Sextus in sua obedientia nuncupatus provide considerans, quod ætas hominum amplius solito in dies laboraretur pauciores, ac desiderans quamplurimos ejusdem indulgentiæ fieri participes, cum ad annum quinquagesimum propter breviter vitam plurimi hominum minime perveniant, ut populorum augetur devotio, fides splenderet, & charitas amplius incalcesceret, ex eisdem, & aliis non minoribus causis de fratrum suorum consilio anuum quinquagesimum supradictum ad trigessimum tertium reducens, statuit de fratrum suorum eorumdem consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis quod universi fideles vere poenitentes, & confessi, qui in anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo trecentesimo nonagesimo, & deinceps perpetuis temporibus de trigintatribus annis in triginta tres annos Basilicas ac Lateranen., & Sanctæ Mariæ Majoris prædictæ Urbis Ecclesias causa devotionis modo præmissis visitarent, eandem consequerentur remissionem, & veniam peccatorum.

§. 5. Postremo vero postquam felix recordationis Martinus Quintus Romanus Pontifex prædecessor noster reductionem per eundem Urbanum factam hujusmodi ratam habens, & gratam, ipsam in sua firmitate persistere, & anno trigessimotertio supradicto observari debere censuerat, & ad effectum deduci anno ingruente,

Jubilaei Indulgentias contem-
plantes consideret que
Pontifici pro-
ponit.

rum Apostolorum auctoritate confisi, eisdem utriusque sexus fidelibus, qui in anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, incipiendo a primis vespere Vigilie Nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, & ut sequitur finiendo, ac deinceps de viginti quinque annis in viginti quinque annos Basilicas, & Ecclesias antedictas alias juxta ordinationem eorumdem predecessorum devote vilitaverint, ut praefertur, plenissimam peccatorum suorum omnium veniam largimur.

§. 8. Attendant igitur universi fideles, qui ad rationem perspicuae veritatis attingere quaerunt, ac in scatera cordis iusto libramine ponderent suorum sarcinam peccatorum, & quam graviter se reos constituerint erga ipsum Redemptorem piissimum, divinam contra se clementiam provocando. Debitorum suorum etiam relegant memoriale, atque animo repetant hujus defluentis saeculi cursum ad exitum continuo properare, & inexorabilem legem mortis absque ullius exceptionis beneficio omnibus esse indictam, quae sine personarum dignitatumque delectu cunctos reddit equales, nihilque esse in quo vanam hujus mundi gloriam manibus extollamus titulis, dum nascenti dies mortis indicitur, ac per tacitos, fallentesque decursus hujus vite mortalitas ad extremum diem fugaci temporis mobilitate raptatur. Provide deinde considerent tremendi iudicii diem, in qua omnium, quae in corpore gessimus, & five bonum fuerit, five malum, reddituri erimus rationem, & absque provocationis effectu quisque propriam mercedem accipiet, aut aeterna beatitudinis praemia, aut mortis perpetuae, & damnationis aeternae supplicia, quibus secunda mors finem imponere, aut ea mitigare nequibit: & tandem cum ita sit, nihilque habeat humana mortalitas quod bonorum omnium largitori digne retribuere possit (cum nullum in se bonum inveniat, quod non sit ei liberaliter a Deo collocatum) ut mortis hujus, & damnationis detrimenta evitent, his atque aliis meritorum operibus peccata sua omni ex parte studeant expiare, ut saltem per hanc media, atque remissionem, & indulgentiarum largitionem hujusmodi, quibus Christicolae omnes veluti data manu ad salutem perpetuam invitamus, ac sanctorum meritis, & intercessionibus adiuti, ad aeternam mereamur beatitudinem pervenire. Suscipiant etiam cuncti Fidei Catholicae professores patris monita, & intuita salutis, atque praecipua cum exultatione ad preparandum iter sibi ad gloriam sempiternam has remissionum, ac indulgentiarum gratias uberissimas, quas nos illarum dispensatores indigni, tamquam Jesu Christi Vicarius, de sacrosancta Romanae Ecclesiae thesauris exhibemus, ut ipsorum animas ab hostis teterrimi potestate ereptas, immortalis Deo Creatori nostro, sicuti supremis desideramus affectibus, exhibere, & nos cum eis superna beatitudine perfrui valeamus. Amen.

Nulli ergo, &c.
Si quis autem, &c.
Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo, terdecimo Kalendas Maii Pontificatus nostri anno VI.

X.

Conficiendi, benedicendi, & consecrandi Agnus Dei vulgariter nuncupatos Romano dumtaxat Pontifici potestatem reservat.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Immoderata perverforum cupiditas ne sciens abstinere a vetitis, & inordinatis affectibus legem imponere, rationis digne praesidentis officium ad executionem justitiae excitat, ut praesumptorum cohibeatur audacia, & ipsorum coherctio cedat Religionis in exemplum.

§. 1. Horum igitur consideratione inducitur, & ne de rebus sacris, aut Deo dicatis ad devotionem, & salutem credentium Sanctorum Patrum ordinatione provida institutis, & pro impetranda venia ac peccatorum macula abstergenda inventis lucra causa fiat commercium, aut passim ut prophana traudentur, universis & singulis cujuscumque status, vel conditionis fuerint, Ecclesiasticis, secularibusque personis auctoritate Apostolica tenore praesentium districtius inhibemus, ne aliquas cereas formas innocentissimi agni imagine figuratas, quas Agnus Dei communis usus appellat, & Romano tantum Pontifici pro summa potestate arbitrio illas conficere, benedicere, consecrare, & cum devotione poscentibus pro remissione peccaminum largiri licet, ut Christiani fideles per ejus tactum & usum inter cetera invitentur ad Dei laudes, ab incendio, atque naufragio liberentur, procella quoque turbini fulgura, grandines, tempestates, & omne malignum molimen procul ab eis pellantur, praegnantibus absque partus periculo conserventur, quovis modo, etiam auro, argento, vel aliis thecis inclusas, consecratas, aut temeritate propria consecras per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte vendere, aut distrahere, seu permutare praesumant.

§. 2. Si quis autem contra inhibitionem nostram hujusmodi temere venire praesumpserit, sententiam excommunicationis incurrat, et si clericus fuerit, omnibus, quae obtinuerit, Beneficiis, & officiis Ecclesiasticis privatus exeat, & nihilominus Laicus quoties id fecerit, per annum carceri mancipetur ob tanti facinoris ultionem.

§. 3. Volumus autem, quod si, qui cereas imagines, five Agnos Dei conficos

D. P. An. 6.
19. Aprilis.

Exordium.

Constitutio de qua in Rubrica.

Cereae hujusmodi virtutes.

Poenae contra inobedientes.

Quae cereas hujusmodi ab aliis consecras tenent, cui debeant religere.

nos hujusmodi apud se habuerint, infra octo dierum spatium a prohibitionis praesentium computandum illos Venerabili Fratri nostro Nicolao Episcopo Pharenfi consignare teneantur, recepturi pro cera aequivalentem compensam, vel satisfactionem condignam, alioquin sententias & poenas praedictas ipso termino elapso incurrant.

Clausula.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis, & voluntatis infringere &c.

Dat. die 21. Martii 1470. An. IV.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo, duodecimo Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno sexto.

SIXTUS QUARTUS
PAPA CCXIV.

ANNO DOMINI MCCCCLXXI.



SIXTUS IV. antea Franciscus Roboreus patria Savonensis ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, S. R. E. Presbyter Cardinalis Tituli S. Petri ad Vincula electus est in Romanum Pontificem die 9. Augusti 1471. & die 25. ejusdem S. Bartholomaeo sacro (a) pontificali coronatur Thiaia. Sedit in B. Petri Sede annos XIII. dies IV. & octo promotionibus XXXIV. creavit Cardinales temporibus Friderici III. Imperatoris. Tom. III. Par. III.

(a) Ita Inscriptura in suo Diario.

ratoris. Obiit die 13. Augusti 1484. & sepultus est in Basilica S. Petri. Vacavit Sedes dies XV. (b)

I.

Privilegia Theaurarii, & Clericorum Rev. Camerae Apostolicae, suorum Nepotum, & familiarium.

De his habes sup. Const. Eug. IV. Inter, & Const. Calist. III. Quae laudabili.

SIXTUS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dispositione divina, quamvis immeriti Gregi Dominico, & Ecclesiastico statui Praesidentes, inter nostri officii curas multiplices nobis imminentes, Romanae Curiae, & Apostolicae Sedis officialium status, regimen, & gubernatio, nostrum sollicitat animum, ut recte, salubriter, & bene disponantur, praesertim dilectorum filiorum familiarium nostrorum Camerae Apostolicae Clericorum, quibus nostra & Apostolica Camerae negotia, ac Fiscus Apostolicus officii cura, & sollicitudo non parva incumbit, nobisque, & Apostolicae Sedi in illis pertractandis solerti diligentia & indefesso animo, summaque cum fidelitate, & continuo labore deserviunt, ut ea, quae in illorum, & eorumdem officii ordinationem, statum, favorem, & augmentum, a Rom. Pontifice praecipue Eugenio Quarto, Nicolao Quinto, & Callisto Tertio, predecessoribus nostris, iuste processisse comperimus, per nostri partes ministerii jugiter invalescant, perpetuamque suscipiant Apostolicae Auctoritatis & roboris firmitatem.

§. 1. Dudum siquidem Callistus III. Praedecessor noster praedictus, nonnullas ordinationes, statuta, & concessiones regimen dicti officii, & personarum ejusdem concernentes per praedictos Eugenium IV. & Nicolaum V. Romanos Pontifices, facta & edita &c.

Reliquum emittitur, quia ipse Bullae Eugenii & Callisti sunt supra, in locis indicat in rubrica, & Bulla Nicolai V. relata est in ea Callisti III.

§. 2. Nos igitur Praedecessorum praedictorum, praecipue Callisti III. in hac parte vestigiis inhaerentes, eosdem Theaurarium, & singulos Camerae Apostolicae Clericos numerarios, & participantes, ob ipsorum spectatam fidem, & integritatem, accuratamque diligentiam, sedulam sollicitudinem, in nostris, & Romanae Ecclesiae negotiis, non minori, quam dicti praedecessoris nostri gratiae, & favoris benignitate prosequentes, proprio motu, non ad ipsorum, vel alterius nobis pro eis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex no-

R 2

Proemium.

Eug. IV. Nic. V. & Callist. III. statuerunt multa circa regimen Camerae.

Hic modo Pontifex illas bullas cogitavit.

(b) Exclusis extremis.